



Xenium Nuptiale

*Sub Anni sesquimillesimi centesimi auspiciis,*

**NOBILISS. VIRO, DN. FROMHOLD**

SCHVVARZHOF &c. ET PRÆSTANTISSIMÆ VIR-

gini ANNÆ, Generosi amplissimiq; V. Domini

Andrææ Spill, S. R. Matris Secretarii &c.

Filiæ Sponsis



Vod bene fortunet, qui tempora digerit vnus,  
 Fataq; disponit vota que nostra, DEVS:  
 Iam decimi ingreditur sextiq; ex ordine secli,  
 Virginei à partus tempore, Phœbus iter.  
 Certatur, veteri pro consuetudine, donis:  
 Votiuas alii dant capiuntque preces.  
 Hic te præ reliquis aiunt, FROMHOLDE, beari  
 Munere, quo nequeat maius in Orbe dari.  
 Namq; tibi Sertum, floremq; pudoris AMICAM  
 Atque adeo totam se dare, fama refert.  
 Quænam ea? fida DEI cultrix, morumq; , venusta  
 Intus virtutum lumine, fronte foris:  
 SPILLEADVM ANDREAM decus indelebile Patrem  
 Iactat (nec leuis est gloria) iure suum.  
 Si quis enim egregiis contendit ad ardua factis  
 Præstans mente, doli nescius omnis, hic est.  
 Si quem continuis nutans Respub. curis  
 Siue domi inuoluit, seu foris vrsit, hic est.  
 Gens experta virum Liuona decennia penè est  
 Quatuor: & memori nunc vehit ore senem.  
 Hocne sat est lautam, FROMHOLDE, capessere strenam?  
 Auspicia ô anni quàm tibi læta fluunt!  
 Sed nec læta minus tibi (par in fœdere sors est)  
 ANNULA flos generis intemerate, fluunt.  
 Pensat AMICVS enim donum, & sua cuncta vicissim  
 Seq; adeo totum datque vouetque tibi:  
 Antiquæ Virtutis homo, gentisque: duobus  
 En verbis omnes nobilitatis opes!  
 Plura quid exposcas præconia, Virgo? Maritum  
 Experiere dein nomine Req; pium.  
 Par strenam est: eademque animi primordia vtriq;:  
 Par vobis sit mens, par in amore fides.  
 Par fidei fructus Soboles: par inde voluptas,  
 Par honor ante homines, par honor ante DEVM.

*Salomon Frencelius à Fridenthal, propere fac.  
 de voluntate Amici. 1111. Non. Januariass*

